Ockendalii Andreae: Assertiones ex universa Theologia.

ASSERTIONES EX VNIVERSA THEOLOGIA, IN COLLEGIO POSNANIENSI SOCIETATIS IESV PVBLICE AD DISPVTANDVM PROPOSITÆ,

AB

ANDREA OCHENDALIO IN EODEM COLLEGIO S. THEOLOGIÆ Auditore.

POSNANIÆ,
In Officina Ioannis Rossowski, Anno, 1621.



Perillustri Magnifico ac Generoso Domino,

D. IOANNI DE BNIN OPALINSKI

Domino & Mecœnati suo

ANDREAS OCHENDALIVS S. THEOLOGIÆ Audit: Felicit.

E*Mensis Theologici freti periodis, exscensionemque ac portum moliens, ad Nauim Tuam Mecœnas Amplissime appello. Quid hoc consilij dicet aliquis: cum nauigationem deseras, Nauem poscere? Equidem coniecto, sensui plebeio paradoxum, nasutioribus paulo mysterium videri quod facio: Assentior neutris; debitum enim & officium impleo. Nauigaui, cursum tenui, portui inuectus, anchoras ieci: feliciter? iudicium istud cedo aliis: malim mihi fructus mei essent: laudem certe & grates cui præterquam Deo & Naui debeam? nescio; Deus rexit: Nauis vexit. cui iam mysterium; cui paradoxum actitare videor? Et Deo quidem sua laus erit apud me semper & debita & parata: at Tuæ isti Naui, nisi semel minimum publicas grates habuero, quis aut illam mihi commodam, aut me illi gratum extitisse sciet? Ergo inter exscendendum, inter ipsos terræ conspectus atque complexus Naui gratiæ, Naui honores, Naui laudes, Naui denique perpetuum obstrictus animus inprimis erat consecrandus, & in Panegyrim laxanda diserti oris facundia, aut saltem Stephanomatis Honorariis prora puppisque erant incingendæ. Ac si ita a dicendi dotibus instructus essem, prout me vel mea propensio esse cuperet, vel refertissimum summis prædicationibus argumentum posceret, facerem sane vt tantæ ornamentorum segeti qualisqualis non deesset laudator. Cæterum quia infra materiam ingenium iacet, &*

votis facultas impar est, Tuæ quidem Mæcenas Illustrißime Nauis huius vetustate longißima antiquæ, viris perillustribus inclytæ Gentilitiis virtutibus diuitis, honoribus publicis amplæ, rerum gestarum gloria insignis, omni ornamentorum, quæ Deus, Patria, Maiores merito deposcant genere abundantißime refertæ, laudes & commendationes tacebo inuitus: sed tamen illud saltem agere connitar, vt earum Mercium, quos ex diuitibus Theologorum Insulis, quadrienni contentione petiui atque retuli manipulos, vel potius coronas, Naui Tuæ, cursus mei Auxiliatrici, non quidem veluti ditandæ aut ornandæ (cum illa istiusmodi opibus per se satis plena sit) apponam aut præfigam, verum grati, obsequentis, deuinctique in semper animi contestandi causa ingeram atque iniiciam. Neque vero Generosa Nauis Tua, meum istud erga se quantumquantum studium aspernari poterit; nam quæ gratiam nondum merenti præstitit: haud dubie, memoris beneficiorum animi officio perfungenti fauorem exhibere dignabitur. Eant ergo in sinum Nauis Tuæ Vir Illustrißime, isthæc Diuinioris Sapientiæ Theoremata, a tutelari eius ope securitatem splendoremque obtineant, ac tandem cultißimum omnibus humanis Diuinisque scientiis animum Tuum occupare mereantur. Erit hoc politißimi Tui ingenii horarium quidem, sed tamen iucundum & vsitatum oblectamentum: erit meæ erga Te venerationis qualequale testimonium, erit Tuæ in laudatißimas scientiarum facultates propensionis indicium, denique erit Tuæ, erga me iam sat notæ beneuolentiæ copiosißimum auctarium atque complementum. Viue & Vale.

CONCLVSIONES EX VNIVERSA THEOLOGIA.

Ex prima parte.

I.

SAcra viatorum Theologia, eſt ſcientia, ac ſapientia propriè dicta, ſi nomina ſcientiæ, & ſapientiæ in abſtractioribus quàm ſint Ariſtotelicæ, ſumantur ſignificationibus. eſt ſimul Speculatiua, & Practica formaliter, magis tamen Speculatiua, propriéq; Scientiæ Dei, ac Beatorum ſubalternata. abſolutè ſumpta eſt neceſſaria Eccleſiæ ad hominũ ſalutem; vt verò methodo Peripateticâ à Scholaſticis tractatur, eſt ſummè vtilis.

2. Habitus Theologicus eſt in ſua entitate ſimpliciter naturalis, licet omnibus habitibus intellectiuis merè naturalibus(à quorum tamen nonnullis euidentiâ & certitudine ſuperatur) abſolutè præſtantior. Obiectum Theologiæ primariũ eſt Deus, ſecundarium cætera quæ ad Deum dicunt attributionem. Totale verò & adæquatum eſt ens Diuinum, vt cognoſcibile per illationem ex principiis Fidei Diuinæ ſupernaturalis, vel ex ijs & ſimul ex notis lumine naturæ.

3. Deus eſt perfectus ſimpliciter in genere entis, & ita abſolutè bonus, vt meritò dicatur ſolus per eſſentiam bonus. Continet in ſe perfectiones omnium rerum etiam poſsibilium, eas quidem, quæ dicuntur ſimpliciter ſimplices formaliter; reliquas verò eminenter. Vnde,

perfectiones omnes creaturarum, eâ ratione acceptæ quâ sunt in creaturis, sunt in ipso solùm eminenter.

4. Perfectiones attributales Dei à parte rei nullam habent distinctionem actualem intrinsecam inter se vel ab essentia Dei; habent tamen vel habere possunt extrinsecam, per conceptus præcisos & inadæquatos intellectus creati, ratione quorum dicuntur ratione distingui. Habent præterea in re distinctionem fundamentalem aut virtualem. Sumpta autem vt à nobis præcisis conceptibus concipiuntur, neq; essentiam Diuinam adæquatè acceptam, nec se inuicem essentialiter includunt.

5. Distinctio fundamentalis attributorum Diuinorũ in aliquibus quidem rectè explicatur per hoc, quòd simplicissima Dei entitas ac perfectio, propter suam eminentiam, æquiualeat pluribus ex natura rei distinctis, estq; apta terminare plures conceptus, sub rationibus obiectiuis separabilibus, saltem in diuersis subiectis: in aliquibus etiam attributis inadæquatè sumptis, explicari potest per intelligibilitatem, sub aliâ & aliâ connotatione, & respectu ad plura actu vel virtute distincta. Quamuis autem à nobis naturaliter non cognoscatur, sine aliquo ordine ad res creatas actu distinctas, ex se tamen independens est tum in esse, tum in cognosci à creaturis, & ab ordine ad illas.

6. Deus Optimus Maximus expers est omnis compositionis realis pasiuæ, tam per se, quàm per accidens: quin etiam compositiones, ex natura & supposito, ex esse & essentia, ex genere & differentia, etiamsi (quod plerisque Philosophis placet) in ipsis creaturis dicantur non esse reales, sed rationis; ob peculiares tamen imperfectiones, quas includunt vel supponunt, eo modo, quo in creaturis assignantur, eius simplicissimæ perfectioni, & perfectissimæ simplicitati repugnant.

7. Ex

7. Ex hac eadem summa simplicitate prouenit, vt Deus incapax sit compositionis actiuæ cum creatura, quâ ipsi vniatur vt materia aut subiectum formæ, siue substantiali siue accidentali, vel vt forma materiæ, aut quâ constituat cum natura creata vnam tertiã naturam, vel compleatur aut terminetur à supposito creato: aliqua tamen alia compositio actiua tum per se tum per accidens cum creatura Deo non est deneganda, vt pote quæ nihil præiudicet simplicitati Diuinæ, & nihil includat imperfectionis.

8. Est Deus infinitus simpliciter in genere entis, quomodo repugnat vllam creaturam infinitam esse: hæc tamen infinitas sumpta formaliter, non est ratio per se primò constituens Diuinam essentiam, nec coincidit cum ratione entis à se. Attributa Diuina à parte rei habent infinitatem simpliciter, prout verò à nobis concipiuntur distincta ab essentia Diuina, & inter se, habent singula infinitatem solùm in suo genere.

9. Deum, suâ simplicissimâ entitate esse immediatè præsentem rebus omnibus, siue ab ijs indistantem, tum fide Diuinâ certum est, tum ex diuersis eius attributis, supernaturali reuelatione, rationeq; naturali notis, & ex ipsius operatione, quâ immediatè omnia producit, & in esse conseruat, non obscurè conuincitur.

10. Cùm diuersimodè Deus sit in rebus diuersis, tum in omnibus est per essentiam, per potentiam, per præsentiam: ad quos modos alij particulares reducuntur. Per præsentiam est ratione cognitionis intuitiuæ: Per potentiam ratione gubernationis & operationis: Per essentiam ratione indistantiæ substantialis, & formationis actiuæ atq; exemplaris. Porrò ratio formalis immensitatis seu omnipræsentiæ Diuinæ, consistit in quantita-

te seu magnitudine virtuali infinitâ.

11. Non est Deus actu in spatijs imaginariis: quin etiam posito quòd extra mundum nullum sit corpus, cui coëxistat ac præsens sit, non est actu completè & realiter extra mundum; nec rectè dicitur habere præsentiam extrinsecam supremo cœlo. Esse vbiq; est proprium Dei, quatenus per hoc significatur existentia in corporibus, & locis omnibus, conueniens rei singulari, ratione eiusdem simplicissimæ entitatis interminabiliter & necessariò.

12. Quamuis repugnet videri Deum vt in se est per similitudinem aliquam obiectiuam creatam, nihilominus tamen non solùm de facto videtur intuitiuè à Beatis per speciem expressam, sed etiam Ipsum absq; huiusmodi specie repugnat videri. Licet verò hæc intuitiua Dei visio sit sine interuentu speciei impressæ, Deo ipso immediatè perseipsum concurrente, tamen eiusmodi speciem intelligibilem impressam absolutâ Dei potentiâ dari posse probabiliùs asseritur.

13. De facto & de potentiâ ordinariâ, ad videndum Deum intuitiuè indiget intellectus creatus lumine gloriæ, quod non est aliquid necessarium ex parte obiecti, coniungens illud potentiæ instar speciei intelligibilis, neq; solùm vel principaliter ad id requiritur, vt dispo-nat intellectum ad recipiendam Diuinam essentiam, per modum speciei intelligibilis, vel visionem eius intuitiuam.

14. Lumen gloriæ non est ita necessarium ad visionem Dei, quasi per ipsum solum effici debeat, absq; cooperatione vitali intellectus, sed ita vt confortet intellectum, simulq; cum illo ad visionis actum producendum concurrat; hic tamen concursus luminis gloriæ suppleri potest à Deo per speciale auxilium identificatum ipsi a-

ctui,

ctui. Nulla natura substantialis dari potest, cui secundùm se & præcisis gratiæ donis acceptæ, sit connaturale videre Deum intuitiuè.

15. Non est æqualis in omnibus beatis visio Dei intuitiua, sed in quibusdam est perfectior quàm in alijs. consistit autem hæc inæqualitas, in maiori & minori intensione aut extensione ad obiecta, prouenitq; Physicè loquendo & proximè, tum ex diuersa intensione luminis gloriæ, tum ex diuersitate concursus Diuinæ essentiæ per modum obiecti. Deum oculis corporeis, vel aliqua potentiâ sensitiuâ, vt in se est, videri, implicat contradictionem.

16. Probabilius est non esse necessarium, imò nec possibile, vt beati videntes Deum, distinctè videant omnia ipsius prædicata essentialia & attributalia. Potest etiam per absolutam potentiam videri intuitiuè Diuina essentia non visis Diuinis personis, & vna persona non visis alijs secundùm proprias earum rationes. De facto verò & de potentia ordinaria, omnes ac singuli beati vidēt tum tres Diuinas personas, ac relationes quibus mutuò referuntur, tum ea saltem Diuina attributa, quæ in via cognoscuntur per fidem, aut ex effectibus naturalibus aut supernaturalibus.

17. Beati videntes Deum vident consilia & decreta libera Dei, non omnes omnia, sed singuli aliqua, pro ratione status & beatitudinis. Vident præterea ipso actu visionis beatificæ, tum aliquas creaturas possibiles in Deo, vt in causa eminenter contentas, tum aliquas existentes immediatè, aut sine medio cognito. Absolutè tamen loquendo, non est necessarium, vt videntes Deum vllam creaturam in particulari videant.

18. Valde probabile est ab omnibus & singulis Bea-

tis videri omnia fidei Mysteria, quæ in hac vita creduntur, totum præterea vniuersum, eiusq; compositionem & ordinem, pulchritudinem & splendorem cœlestis patriæ, locum damnatorum, eorumq; supplicia: de contingentibus verò ad vtrumlibet, ac de actibus liberis viatorum, ea singuli cognoscunt, quæ ad proprium pertinent statum. Deum ab intellectu humano videri comprehensiuè repugnat, etiamsi ad comprehensionem id solùm requiri dicatur, vt res distinctè videatur, secundùm omnia quæ habet in se formaliter ac virtute. Est etiam Deus ineffabilis aut innominabilis, quia per nullum nomen potest significari, comprehensiuè vel intuitiuè, vel quidditatiuè.

19. Est in Deo intellectus prout hoc nomine significatur vis intelligendi, non autem prout significatur actus primus intellectionis. Intellectio Diuina in sua simplicissima entitate, continet formaliter omnem perfectionem virtutum intellectualium ab Aristotele enumeratarum; reliqua verò cognitionum genera, quæ aliquam imperfectionem includunt vel supponunt, continet eminenter.

20. Diuina intellectio non est ratio, quâ Deus modo nostro concipiendi primò constituitur in sua essentia, sed est attributum virtualiter consequens Diuinam essentiã viuentem. Eius obiectum primarium est ipsemet Deus, ita se per seipsum intelligens, vt se perfectissimè comprehendat. Creaturæ possibiles non solùm cognoscuntur à Deo secundùm esse eminentiale & idæale, quod in illo habent; sed etiam secundùm esse proprium ac formale, quod habere possunt in seipsis, & est in Deo solùm eminenter.

21. Creaturas possibiles quâ tales cognoscit Deus in seipso, non quidem propriè vt in imagine obiectiua, aut specu-

ſpeculo, aut ſpecie impreſsa vel expreſsa, ſed vt cauſa, per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. creaturas verò omnes, quæ in aliqua differentia temporis exiſtunt, atq; adeò etiam quæ nobis dicuntur præteritæ vel futuræ, cognoſcit Deus immediatè in ſeipſis per ſcientiam viſionis aut intuitiuam. Scientia Dei eſt cauſa rerum non quâ viſionis, ſed quâ ſimplicis intelligentiæ.

22. Licet veriſsimum ſit omne tempus quod ab initio mundi, vſque ad finem decurrit, eſſe præſens realiter, & non ſolùm obiectiuè Deo in æternitate, ſi verbum eſſe conſignificet Nunc permanens æternitatis. Falſum tamen eſt omnia ab æterno fuiſſe, vel in æternum fore præſentia realiter Deo, aut coëxiſtere æternitati ſimul, vel ſemper, vel adæquatè, vel totaliter. quæ nobis præterita vel futura dicuntur, cognoſcit Deus tum vt præſentia æternitati, tum vt præterita, vel futura, vel præſentia ſibi inuicem.

23. Deus habet certam atq; infallibilem cognitionē, actuum liberorum ſub conditione futurorum, quæ non immeritò dicitur ſcientia Media vel Mixta, licet reuocari poſsit ad vulgares illas & à pleriſq; receptas, ſcientiæ Diuinæ diuiſiones in Naturalem ac Liberā, Simplicis Intelligentiæ & Viſionis. Non ſolùm autem hæc ſcientiâ conditionata, maximum habet in ſcripturis & ſanctis Patribus fundamentum, ſed etiam à D. Thoma, aliquoties indicata & aſſerta eſt.

24. Scientia media vel conditionata non præſupponit in Deo virtute vel ratione decreta prædeterminatiua voluntatis creatæ, imò ſi ea præſupponeret tanquam cōſtitutiua ſui obiecti, eo ipſo non eſſet futurorum contingentium, ſed naturalium vel neceſſariorum. Prior etiam eſt vel certè non poſterior, tum hæc media ſcientia, tum

ea quæ

ea quæ terminatur ad absolutè futura, decretis omnibus liberis Diuinis in actu positis: esto non sine ordine ad illa suam veritatem habeat.

25. Deus quatenus est principium rerum operatiuum, habet earum idæas in se realiter sibi identificatas, & pro pluralitate rerum virtualiter plures. Deus quatenus est obiectum sui intellectus primarium, est Verum, quin potius ipsa veritas omnem excludens falsitatem. Est etiam in Deo Vita maximè propriè, & ea quoq; omnia quæ in eo sunt, vita eius sunt, & omnia Deus sunt.

26. Est in Deo verè & formaliter voluntas seu vis volendi ac volitio, cuius primarium obiectum est ipse Deus, secundarium verò sunt creaturæ secundùm esse suum proprium ac formale acceptæ. Volitio Dei prout terminatur ad Deum est formaliter amor & gaudium; vt autem terminatur ad creaturas, est amor, desiderium, gaudium, fuga, intentio, electio, vsus. Porrò hæc Dei voluntas quatenus versatur circa suum primarium obiectum est simpliciter necessaria, tam quoad specificationem, quàm quòad exercitium. At circa creaturas vt considerantur secundùm esse existentiæ actualis exercitæ absolutè loquendo, est libera quoad exercitium; quoad specificationem autem partim est libera, partim necessaria pro diuersitate obiectorum.

27. Actus liber Dei quoad id quod intrinsicè dicit in ipsomet Deo, est prorsus idem cum essentia Diuina, aut cum actu eius necessario, neq; includit necessariò respectum vllum rationis, esto à nobis sine tali respectu intelligi forte nequeat; quamuis autem omnis huiusmodi actus obiectum habeat contingens, quod secundùm se aliquomodo est indifferens ad esse & non esse, non semper tamen causat aut infert mutationem physicam in creatura quæ

ra quæ

ra, quæ secluso tali actu in eo non esset. Voluntas Diuina conuenienter diuiditur in eam quæ dicitur Signi, & eam quæ Benèplaciti. Hæc rursus in Antecedentem & Consequentem, Efficacem & Inefficacem, Absolutam & Conditionatam &c. Per quamuis Voluntatem Signi indicatur aliquomodo Voluntas Beneplaciti; ac proinde, sicut apud omnes certum est, Voluntatem Signi non semper impleri, ita de Voluntate Beneplaciti intelligendum est.

28. Implicat contradictionem Voluntatem Dei non esse liberam; si tamen per impossibile libera non esset, absolutè loquendo, nullam creaturam libero arbitrio præditam condere potuisset, & in hoc sensu rectè dicitur, Si Causa Prima ageret ex necessitate naturali, omnes reliquas causas ex eadem necessitate acturas: nisi fortè aliud impossibile cum hoc supponatur, videlicet, Libertatem non esse perfectionem simpliciter, sed secundùm quid. Quòd si per impossibile Diuina Voluntas ageret ex necessitate naturæ quantum potest, & tamen aliquæ creaturæ darentur libero arbitrio præditæ, impediretur in ipsis, ex concursu causæ primæ, actualis vsus libertatis, suppositâ verâ & sanâ doctrinâ de dependentia immediata causarum secundarum in essendo & operando à Prima. Quòd si Deus ageret ex necessitate naturæ, sed non plus quàm modò agat, neq; aliam motionem voluntati creatæ præbeat quàm modò præbet, non impediret in ea libertatem.

29. Decreta æterna Diuinæ Voluntatis quibusdam causis creatis imponunt necessitatē, quibusdam non imponunt; atq; adeo in creaturis rationalibus non impediunt libertatem. Omnes res creatæ etiam in particulari, Diuinæ Prouidentiæ distinctè & immediatè subijciuntur.

Quamuis autem aliquæ deficiant à Fine particulari ad quem ordinatæ sunt à Deo, ipso sic ordinante, aut saltem permittente; omnes tamen consequuntur Finem Diuinæ Prouidentiæ Vniuersalem, seu Adæquatum.

30. Quamuis prædestinatio (quæ formaliter consistit in iudicio Diuino per Voluntatem approbato, de medijs infallibiliter ducentibus electos ad vitam æternam) non conueniat Deo ex necessitate simpliciter, sed liberè; tamen est aliquomodo necessaria, necessitate congruentiæ ac conuenientię; & præterea, posito quòd aliqui homines sint consecuturi vitam æternam, est absolutè necessaria. Ad hanc verò supponitur necessariò, tùm Scientia Simplicis intelligentiæ, tùm scientia Media seu Conditionata: quâ suppositâ, Deus habuit aliquam voluntatem dandi gloriam prædestinatis, priùs ratione, quàm decreuerit dare media ad eam consequendam. Habuit & voluntatem efficacem ab æterno dandi ea media, per quæ de facto electi salutem æternam consequuntur.

31. Potuit Deus creaturas rationales ad gloriam eligere merè gratis & independenter à meritis præuisis, etiam posito, quòd noluisset conferre ipsis de facto gloriam, nisi propter merita. Potuit item eas eligere solùm ex meritis, aut propter merita præuisa & præordinata; demum potuit quidem aliquas dependenter à meritis, independenter alias eligere. Quòd verò primum modum in prædestinatione electorum omnium, tam Angelorum quàm hominum fuerit secutus, longè probabilius est.

32. Gloria essentialis prædestinatorum, cum omnibus quæ eam consequuntur; Gratia item sanctificans, tam Finalis, quàm ea, quæ in toto vitæ decursu ab electo habetur, perseuerantia; omnia actualis gratiæ auxilia, omnesq; actus supernaturales electorum, qui cum effectu con-

ctu conducunt aliquomodo ad obtinendam salutem æternam: imò etiam bona aliqua naturæ, ac mala pœnæ: ipsa demum permissio peccati tum in ipso prædestinato, tum sæpè in alio sunt effectus prædestinationis.

33. Ex parte ipsius Prædestinati nulla datur causa moralis meritoria, vel impetratoria, vel dispositiua prædestinationis quoad primum effectum supernaturalem, vel quoad omnes effectus supernaturales collectiuè: ex parte tamen alicuius alterius, etiam puræ creaturæ, datur interdum causa aliquomodo meritoria, quoad primum eius effectum, qui in ipso sit prædestinato. nunquã tamen datur hoc modo causa, quoad omnes collectiuè huiusmodi effectus supernaturales.

34. Neq; ex parte prædestinati, neq; ex parte vllius puræ creaturæ, datur ratio meritoria Diuinorum decretorum, prædefinientium aut intendentium gloriam prædestinati. secus est ex parte aliquorum decretorum exequentium prædestinationis: nam omnium etiam istorum nulla datur ratio meritoria. De fide est dari reprobationem, sicut & prædestinationem, siue aliquos homines & Angelos esse à Deo reprobatos, sicut & aliquos prædestinatos; ex se tamen & præscindendo à peccatis permissis ac præuisis, in ijs qui reprobantur, nullum voluit Deus positiuè excludere à Gloria æterna.

35. Deus verè & propriè ab æterno voluit Voluntate Beneplaciti saluare omnes homines, quos creare decreuit; quæ Voluntas de salute hominum est actus liber non necessarius, prosecutionis & aliquomodo efficax; ex vi cuius Deus dat omnibus hominibus auxilia, aut media aliquomodo sufficientia ad salutem, etiam reprobis ac paruulis, aut perpetuò amentibus, qui sine baptismo moriuntur.

36. Deus in eodem signo æternitatis, quo aliquos homines specialiter dilexit & elegit efficaciter ad gloriam, voluitq; habere erga illos specialem prouidentiam, non elegit alios qui damnantur, imò positiuè voluit illos non eligere, & non habere circa ipsos Specialem illam Prouidentiam. Præter hos autem actus, habuit Deus alios tres circa reprobos, præscientiam peccatorum absolutam, iudicium practicum de reproborum indignitate respectu gloriæ, & tandem absolutum decretum de illis æternaliter puniendis.

37. Reprobationis Positiuæ aut Punitiuæ effectus non est peccatum aut permissio peccati, sed pœna peccato debita: at verò Reprobationis Negatiuæ aut Permissiuæ effectus est, tùm permissio peccati, tum interdum excæcatio, obduratio, seu reprobus sensus. Ex parte ipsius Reprobi datur causa reprobationis Positiuæ, omniúmq; eius effectuum, eaq; est peccatum quodcunq;, in fine vitæ non remissum, quatenus non remissum; secus est de reprobatione Negatiua.

28. Quamuis multæ possint afferri rationes ob quas Deus aliquos ad gloriam elegerit, non autem omnes, imò aliquos voluerit non eligere: cur tamen ex Angelis & hominibus tot efficaciter elegerit, non plures, nec pauciores, & potiùs has numero personas quàm illas, nulla potest à nobis ratio ex parte Dei assignari, præter liberam eius Voluntatem: quæ ignorantia non solùm prouenit ex imperfectione intellectus humani, Diuinæ Prouidentiæ rationes non comprehendentis, sed etiam ex eo, quòd talis ratio nulla planè detur, præter Diuinam Voluntatem.

39. Etsi necesse est necessitate comitante aut consequente, prædestinatum ante mortem iustificari ac saluari; repro-

ri; reprobum autem in peccato mortali mori & damnari, tamen nec prędestinatio ad malè operandum, nec reprobatio ad bene operandum libertatem tollit vel impedit. Liber vitę est Notitia Dei, quá firmiter retinet, se aliquos elegisse aut prędestinâsse ad vitam ęternam, vnde idem est realiter cum prędestinatione; differt tamen ab illa aliquomodo secundùm rationem.

40. Duplicem in Deo dari ad intrà processionem, quę nullam imperfectionem, in creatis originibus inueniri solitam, includat; fides docet Catholica. Sunt autem hę processiones, non immediatè per Naturam Diuinam, vt natura est; sed per intellectum, ac Voluntatem: neq; aliter quàm per eas est, vel esse potest, Diuinarum personarum pluralitas.

41. Processionem Verbi Diuini esse verè ac propriè generationem, non item processionem Spiritus sancti, omnibus Orthodoxis, notissimum est. Sed cur ita sit? per quàm dubium est, & controuersum, vt non immeritò sanctissimi & doctissimi viri dixerint, id vel petendum vt reueletur, vel expectandum vt videatur. Verisimilis tamen est, præter cæteras, huius rei ratio D. Thomæ, desumpta ex eo, quòd Verbum Diuinum, cùm sit per intellectionem, quæ ex natura sua est assimilatiua, procedat vt simile suo principio ex vi suæ processionis formaliter sumptæ: at verò Spiritus sanctus procedit per Volitionem, quæ vt talis est, non assimilat terminum suo principio.

42. Dantur in Deo ad intra quatuor relationes propriè dictæ, Paternitas, Filiatio, Spiratio actiua, & Spiratio passiua seu Processio, quæ non solùm secundùm esse In, sed etiam secundùm esse Ad, & reales sunt, & aliquam dicunt perfectionem, non quidem simpliciter simplicem,

 sed se-

sed secundùm quid. Ab essentia Diuina ante operationem intellectus, actu & formaliter nullo modo distinguuntur, sicut nec Spiratio actiua à Paternitate & Filiatione. At verò Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiua inter se distinguuntur omninò realiter.

43. Relationes Diuinæ ad intra, sunt de ratione formali essentiæ Diuinæ, sumptæ vt est in re ipsa. Si tamen nomine essentiæ Diuinę intelligamus, id quod nos in Deo concipimus vt principium proprietatum & operationum Diuinarum, vel etiam id, quod præcisè constitui dicimus ex omnibus prædicatis absolutis, Relationes præcisè cōceptæ non sunt dicendæ de ratione essentiæ, sed superaddi aliquo modo essentiæ. Diuina essentia, sumpta transcendenter pro quauis ratione Diuina, intimè includitur in conceptu omnium ac singularum relationum, etiam formaliter ac præcisè sumptarum. secus res habet, si sumatur pro eo, quod constitui dicimus ex prædicatis Diuinis strictè quidditatiuis, vel ex omnibus absolutis etiam attributalibus.

44. Aliqui Sancti PP. negabant in Deo esse tres hypostases; quia per hypostasim intelligebant substantiam communem seu essentiam. Iam verò determinatâ significatione hypostasis ad denotādam substantiam completam, vltimò & incommunicabiliter terminatam, tres in Deo sunt admittendæ hypostases eiusdem naturæ & essentiæ, sicut tria supposita & tres Personæ.

45. In tribus Personis Diuinis tres sunt subsistentiæ, tresq; existentiæ relatiuæ, realiter ab inuicem distinctæ, sed vni communi & absolutæ subsistentiæ & existentiæ omnino identificatæ. Prædicata transcendentia, Res, Ens, Vnum, Verum, Bonum, dicuntur de Deo tum singulariter, ratione vnius naturæ, tum pluraliter, ratione trium relationum oppositarum. 46. Di-

46. Diuinum SS. Trinitatis Mysterium solo naturæ lumine, & seclusâ omni Dei reuelatione, nullâtenus ab homine vel Angelo cognosci potuisset, quin etiam suppositâ Diuinâ reuelatione & fide de eodem mysterio, nō potest eius existentia, vel etiam possibilitas ratione aliquâ naturali euidenter conuinci; potest tamen conuenientia aliqua illius assignari, & contra infideles etiam, qui nullis principijs reuelatis credunt, defendi. Non repugnat tamen etiam extra visionem beatificam, ab homine vel Angelo mysterium hoc aliquo modo euidenter cognosci, quoad quæstionem An sit?

47. Congruenter in Deo quinq; solent assignari Notiones, id est rationes quædam obiectiuæ in abstracto significatæ, quibus propria Diuinarum Personarum innotescunt, Paternitas, Innascibilitas, Filiatio, Spiratio actiua, Spiratio passiua. Ex his autem, quatuor sunt Relationes, quatuor Proprietates (quarum videlicet quæuis vni solùm Diuinæ Personæ conuenit) tres Proprietates Personales, aut subsistentiæ incommunicabiles. Non est necesse ponere Inspirabilitatem pro Patre & Filio, sicut ponitur Innascibilitas pro Patre.

48. Hoc nomen Pater, dicitur in Diuinis tum notionabiliter, quâ ratione soli primæ personæ Trinitatis respectu secundæ conuenit; tum essentiabiliter, & sic dicitur de omnib⁹ tribus Diuinis Personis, atq; adeò de Deo, vt sic, respectu creaturarum, quatenus eis communicat similitudinem vestigij, vel etiam imaginis, vel etiam Gratiæ & Gloriæ: vnde peculiari ratione homines & Angeli iusti atq; Beati dicuntur Filij Dei. Per prius verò dicitur Paternitas de Deo notionabiliter quàm essentialiter.

49. Esse Ingenitum vel Innascibilem, est proprium Primæ in Diuina Trinitate Personæ, quæ Pater dicitur.

per hoc

per hoc autem non significatur formaliter aliquid positiuum, sed negatiuum vel priuatiuum, videlicet Patrem in Diuinis nullo modo esse ab alio, siue esse principium non de principio: licet pro fundamento Innascibilitas dicat Paternitatem, & in aliqua alia significatione conuenire posset Spiritui sancto, vel etiam ipsi Diuinæ essentiæ.

50. Nomen & ratio Principij priùs ac perfectiùs conuenit Deo notionaliter, quàm essentialiter. Si nomine Principiati solùm significetur, id quod est à principio, negari non debet, Filium ac Spiritum S. dici posse Principiatos. quia verò principiatū sæpiùs vsurpatur ad significādum ens à principio factum, vel habens principium durationis, satius est cum Doctoribus Latinis, ab hac voce abstinere, cùm de Diuinis Personis loquimur.

51. Modus loquendi Græcorum, qui Patrem in Diuinis dicunt esse causam seu Ætian Filij, toleratur à Latinis, sed vsurpari non debet; admitti nihilominus potest, quod SS. DD. dixerunt, Patrem esse Authorem Filij, & Spiritum S. esse à Patre & Filio Authoribus; nisi fortè cum quibusdam grauissimis Theologis dicamus, de ratione Authoris esse, vt non sit ab alio, quod non videtur vniuersaliter admittendum.

52. Pater æternus dicitur à SS. PP. principium Deitatis, fons & origo totius Deitatis aut Diuinitatis, nō quòd Deitatem producat, sed quia Deitatem Filio & Spiritui S. communicat, seu, quia est principium personæ, cui per originem communicatur Deitas. Dicitur etiam interdū Principium totius Trinitatis, non quòd tota Trinitas, aut omnes eius Personæ ab eo procedant, sed quia multiplicatio Personarum Trinitatis ab eo ducit originem.

53. Verbum in Diuinis nō dicitur propriè, essentialiter, de omnib' tribus Personis Diuinis, sed solùm notionaliter de Persona

de Persona Filij, quę verè & propriè est Verbũ Dei Patris, & quâ Verbum duplicem includit respectum, alterum prolati ad proferentem, vel producti ad producentem; alterum repræsentantis ad repræsentatum. Procedit autem Verbum Diuinum formaliter ex cognitione Diuinę essentię, attributorum, Diuinarum Personarum, & creaturarum possibilium, quâ possibilium; non tamen ex scientia Visionis creaturarum, neque ex scientia Conditionata, etiamsi hę scientię sint in Deo, antecedenter modo nostro intelligendi ad decreta Dei in actu posita.

54. Imago in Deo dicitur personaliter, & de solo Filio seu Verbo Diuino; Nec tamen damnandus, sed piè explicandus est modus loquendi PP. Græcorum, qui Spiritum sanctum appellant Imaginem Filij. Verbum ergo Diuinum est vera & naturalis Imago Patris. Ratio Filij, Verbi, & Imaginis, sunt de formali conceptu secundę personę procedentis per intellectum, quę non immeritò dicitur Sapientia æterni Patris; quamuis non propriè dicatur Pater, Sapiens sapientiâ genitâ.

55. Nomen Spiritus sancti iuxtà Ethymologiam vocis, commune est omnibus Diuinis Personis, & complexè prolatum re ipsa omnibus tribuitur; Sed vt sumitur in vi nominis incomplexi, rectè appropriatur tertię Personę, per voluntatem procedenti à Patre simul & Filio, tanquam ab vno principio spirante, per vnam & per eandem indiuisibilem virtutem spirandi ipsis identificatam, per se exigentem esse in duabus Diuinis Personis: Vnde rectè dicitur in Diuinis ad intra, vnum per se loquẽdo esse Spiratorem, & duos spirantes.

56. Si Spiritus S. per impossibile à solo Patre procederet, eadem esset realiter Persona cum Filio, genita simul ac spirata. Amor in Diuinis, sumitur tum essentialiter, pro

ter, pro

ter pro actu scilicet amandi, communi tribus Personis; tum notionaliter, pro termino producto per dilectionē, vt est prior origine in Patre & Filio. Spiritus S. procedit per amorem, quo Pater & Filius diligunt Diuinitatem, & omnia quę sunt formaliter ac eminenter in Deo, quatenus ille amor necessarius est & non liber. Hęc propositio Pater & Filius diligūt se Spiritu S. verum habet sensum, si de Dilectione notionali intelligatur.

57. Actus notionales videlicet Dictio & Spiratio, non sunt omnino contradistincti ab essentialibus intellectione & amore, sed eos includunt. sunt simpliciter necessarij non liberi, licet aliquomodo sint voluntarij. Actiuè sumpti identificantur adęquatè relationibus Personarum producentium, quá sunt producentes; Accepti autem passiuè, relationibus Personarum productarum quâtalium. Verè & propriè prędicantur tum de personis sumptis sub proprijs nominibus, tum de Deo, per nomina essentialia concretè accepta, significato.

58. Datur in Deo potentia ad actus notionales, seu productiua ad intra, quæ non est sola relatio personæ aut principij producentis, nec sola essentia sub ratione intellectus vel voluntatis; sed vtrumq; simul. Personæ Diuinæ non constituuntur proprietatibus absolutis, neq; actibus notionalibus, sed relationibus personalibus originis. Missio Diuinæ Personæ est procesſio illius, cum connotatione temporalis effectus: Patri non conuenit mitti, sed mittere. Quando Spiritus S. perfectâ inuisibili misſione mittitur, tunc & ipsa Persona eius, & Gratia sanctificans datur ei, ad quem mittitur.

59. Substantiæ spirituales completæ, homine superiores, quas Angelos vocamus, omnes ac singulæ ab inuicem specie differunt: quamuis plures vel etiam omnes eiusdem

eiuſdem ſpeciei infimæ, per Diuinam virtutem eſſe poſſint. Sunt naturâ ſuâ, ſiue ab intrinſeco incorruptibiles. Aſſumunt propriè corpora, quæ externis ſenſibus verè percipi poſsint; tum à ſe formata ex aère & halitibus addenſatis; tum interdum præexiſtentia.

60. Numerus Angelorum, eſt maior omnium hominum numero, qui vnquam fuerunt, ſunt, & erunt; imò etiam prætereà ſuperat multitudinem ſpecierum reliquarum rerum materialium. Sunt in loco formaliter per operationem tranſeuntem, vel per applicationem virtutis ad operandum tranſeunter, præſuppoſitâ tamen indiſtantiâ ſecundùm ſubſtantiam.

61. Quilibet Angelus habet propriam ſphæram aut terminum magnitudinis loci, non item paruitatis, imò etiam poteſt ſubſtantialiter coëxiſtere ſoli puncto. Non poſſunt Angeli ſimul eſſe naturaliter in pluribus locis adæquatis, vel in vno loco adæquato, & in alio inadæquato. poſſunt tamen ſimul eſſe in pluribus locis inadæquatis, ſibi contiguis, & ab inuicem non diſsitis. Non poſſunt etiam naturaliter eſſe ſimul in eodem loco formali, tanquam locata totalia, licet poſsint eſſe tanquam locata partialia.

62. Mouentur localiter de vno loco in alium per contactum virtutis ſucceſsiuũ, vel per applicationem virtutis actiuę ad diuerſa loca, pręſuppoſitâ verâ ac reali tranſlatione ſecundùm ſubſtantiam, de vno ad alium locum. Motu continuo moueri nequeunt, niſi tranſeundo per medium etiam participans; nec diſcreto, niſi tranſeundo per medium non participans. Poſſunt motu continuo percurrere lineam, retinendo in quolibet inſtanti præſentiam ſubſtantialem ad ſolum punctum. Item in vno & eodem inſtanti motus ac temporis diſcreti totum vnum

 locum

locum sibi adæquatum relinquere, & alium sibi proximum acquirere.

63. Cognoscunt Angeli Deum ac seipsos cum accidentibus sibi intrinsecis per seipsos, reliqua obiecta naturalia per species congenitas vniuersales; quæ in Angelis superioribus pauciores & vniuersaliores sunt. Futura contingentia, secreta cordis alieni, donec ab eo liberè manifestentur, certò cognoscere nequeunt, sicut nec res in substantia supernaturales. Per se loquendo semper sunt in actu secundo cognitionis suiipsorum, & eorum quæ per seipsos cognoscunt. Vt plurimũ non discurrunt, etiã circa obiecta sibi naturaliter ineuidentia: probabilius tamen est in his interdũ posse illos propriè discurrere.

64. Datur in Angelica voluntate amor tum naturalis, tum electiuus suiipsius, aliarum creaturarum intellectualium, & Dei præpotentis, qui tamen naturalis dicitur, non est necessarius quoad exercitium. Naturaliter diligunt Deum plusquàm seipsos, & Angelos alios sicut seipsos. Producti sunt simul cum mundo corporeo, & ex maiori saltem parte in cœlo Empyreo. In primo instanti creationis suæ habuerũt Gratiam iustificantem, ad quam per actus supernaturales liberos se disposuerunt.

65. Angeli, qui supernaturalem Patrię beatitudinem consecuti sunt, ex merito de condigno eam consecuti sunt, non quidem per opera duratione subsequentia aut comitantia, sed antecedentia primũ instans eiusdẽ beatitudinis: vnde in primo instanti sui esse, non viderunt intuitiuè Deum. Status viæ, in bonis quidem Angelis vnico instanti Angelico, in malis autem duobus instantibus consummatus est. Gratia & Gloria Angelis in natura perfectioribus, data est maior ac perfectior. mali angeli torquentur realiter ac Physicè ab igne corporeo, per qualitatem spiritualem doloriferam in ipsis productam.

Ex ſecunda parte.

66. BEatitudo hominis obiectiua alterius vitæ, eſt ipſe Deus, ſecundùm perfectiones tam abſolutas, quàm relatiuas: formalis autem, eſt actio intellectus humani ab ipſo vitaliter elicita, ſcilicet viſio Dei intuitiua; quæ non ſolùm eſt apprehenſio Dei, ſed etiam perfectiſſimum iudicium de eo alijsq; in eo viſis. eſt quoque in ſeipſa ita reflexa, vt per illam Beatus & Deum videat, & ſe eum videre videat. Eſt item ſimul practica & ſpeculatiua, licet principaliùs ſpeculatiua.

67. Amor & fruitio Dei, quæ ad perfectum & integrum beatitudinis formalis ſtatum pertinet, in beatis de facto eſt neceſſaria, tam quoad ſpeciem, quàm quoad exercitium. Gaudium item beatificum de facto excludit omnem triſtitiam; de potentia tamen Dei abſoluta, cum ingenti triſtitia & dolore coniungi poſſet. Beati tum ab amore Dei neceſſario, tum etiam præcisè à viſione Dei, quam de facto habent, redduntur Phyſicè impeccabiles.

68. Ad beatitudinem ſupernaturalem non datur in homine appetitus naturalis innatus; datur tamen elicitus. De ratione huius beatitudinis eſt, vt ſit & cognoſcatur perpetua. Tres ſunt dotes animæ Beatę, Viſio, Comprehenſio, Fruitio. Tres item Aureolæ, Virginitatis, Martyrij, Doctrinæ. In Chriſto Domino & Angelis non ſunt dotes & Aureolæ ſecundùm propriam rationem, quæ tamen Beatiſsimæ Virgini, ſingulari quodam modo, omnes conueniunt. probabile eſt, prædictas Aureolas in Phyſicis quibuſdam qualitatibus ſpiritualibus conſiſtere, & eſſe quoſdam quaſi characteres.

69. Corpora tam beatorum, quàm damnatorum, resurgent eadem numero organica, & cum eadem sexus diuersitate, non tamen ad vitam animalem. In Beatorum corporibus sunt Dotes; Claritas, eiusdem speciei cum luce solis, naturaliter ab oculo non glorioso visibilis; Impassibilitas, consistens in aliqua qualitate, aut qualitatũ complexione, per quam redditur homo, non tantùm substantialiter incorruptibilis, sed etiam incapax alterationis aut mutationis corruptiuæ; Agilitas, per quam Beati moueri poterunt, tum motu progressiuo, tum simplici, non tamen in instanti transeundo per medium. Denique Subtilitas, quæ est qualitas reddens corpus gloriosum penetratiuum alterius corporis.

70. Voluntarium, à Spontaneo naturæ rationalis, quà rationalis non differt; estq; id, cuius principium est voluntas aut appetitus cognitione intellectiuâ regulatus. Liberum prout de actu secundo voluntatis dicitur, minùs latè patet quàm voluntarium: Est enim illud quod ex indifferentia voluntatis ita est, vt possit non esse, vel alio modo esse. Omnis actus liber est etiam deliberatus, non tamen contrà.

71. Ratio liberi vel necessarij, non est accidens aliquod, vel modus actibus voluntatis realiter inhærens; sed denominatio solùm extrinseca, quæ potest adesse vel abesse intrinsecæ entitati eorundem actuum. Ad hoc vt omissio actus eliciti voluntatis vel imperati, sit voluntaria, satis est, si intellectus aduertat, & voluntas possit talem actum exercere; vt tamen effectus ex omissione secutus sit omittenti voluntarius, requiritur etiam obligatio impediendi talem effectum.

72. Quamuis voluntas creata tum ab alijs creaturis, tum maximè à Deo, in actibus aliarum potentiarum à se impera-

imperabilibus, & in cessatione propriorum actuum violentiam pati posit; tamen nec actus ab ipsa voluntate eliciti, ipsi voluntati, neq; qui ab alijs potentijs eliciuntur, ijsdem potentijs violenti esse possunt. Vt id quod per violentiam fit, sit alicui simpliciter inuoluntarium, non semper sufficit positiuus voluntatis dissensus, præcedente aduertentiâ intellectus, sed necesse est interdum actu externo efficaciter resistere, si posit.

73. Quæ fiunt ex metu etiam graui, sunt simpliciter voluntaria, & vt plurimùm libera; interdum tamen sunt secundùm quid inuoluntaria. Concupiscentia Antecedens secundùm aliquam rationem auget, secundùm aliam minuit voluntariũ, & absolutè minuit liberum. Ignorantia Antecedens causat sæpiùs inuoluntarium, secundùm circumstantiam ignoratam; comitans tollit voluntarium, non item consequens.

74. Actus à voluntate eliciti rectè ad sex capita illa reuocantur, nempe ad Amorem, Desiderium, Odium, Fugam, Tristitiam. Voluntas fruitionis actum elicit vitaliter circa finem possessum; Intentionis circa eundem, quatenus per media comparandum; Electionem circa medium, non tamen necessariò vtilius aut præstantius, sed etiam æquale vel minùs bonum. Vsus si actiuus sit, semper est actus voluntatis elicitus, si pasiuus, semper imperatus, nonnunquam etiam elicitus.

75. Formalis ratio peccati consistit in priuatione rectitudinis, debitæ actui, aut omisioni. Rectitudo hæc proximè quidem sumitur à conformitate cum dictamine rectæ rationis, remotè autem à ratione Diuina, cui possumus in obiecto tantùm materiali non conformari; imò aliquando id efficaciter velle, quod ex Dei reuelatione impossibile esse scimus. Vt motus alicuius potentiæ sit

pecca-

peccatum, requiritur ex parte quidem intellectus, expressa aduertentia de malitia morali in actu vel obiecto; ex parte autem voluntatis sufficit consensus interpretatiu⁹.

76. Quamuis Deus ad entitatem peccati physicè concurrat, quia tamen id facit concursu non prædeterminante, sed indifferente, ac per voluntatem creatam determinato, author peccati dici nequaquam potest. Peccatum Originale consistit formaliter in priuatione Iustitiæ Originalis, in quantum est debita nobis, & voluntaria per voluntatem, actualeq; peccatum primi parentis; quam priuationem anima incurrit, in quantum per naturalem propagationem vnitur corpori.

77. In statu naturæ integræ potest homo cum solo generali Dei concursu omnia præcepta moralia, ordinis naturalis, quoad substantiam, seruare; non item, in statu naturæ lapsæ, præsertim ad tempus longum; sed ad hoc tum actualis, tum habitualis gratiæ auxilio opus habet.

78. Ad singula opera ordinis supernaturalis, & quæcunq; ipsorum initia, necessariò homo indiget Gratiá Dei propriè dictâ, & speciali auxilio ad operandum; atq; ita neque initium fidei, piæ videlicet credulitatis affectum, habere potest propriâ industriâ.

79. Immunem à venialibus peccatis vitam transigere, est priuilegium singulare, soli, vt probabile est, Dei Parenti concessum, & non alteri. Nobis, quamuis cum ordinariâ Dei gratiâ, omnia illa distributiuè & sigillatim vitare sit possibile, collectiuè certè sumpta vt vitemus, extraordinario fauore est opus.

80. Gratia Dei, per modum specialis auxilij, ad operandum supernaturaliter simpliciter necessaria, est quid creatum & inhærens homini; consistitq; partim in motu & actu hominis transeunte, partim in qualitate seu habitu permanente.

81. Ope-

81. Operans gratia, quæ eadem est cum excitante & præueniente, consistit in actibus intellectus & voluntatis supernaturalibus, inducentibus ad bene supernaturaliter operandum, à Deo productis; & simul vitaliter ac Physicè, non tamen moraliter ac deliberatè à potentijs his eleuatis.

82. Cooperans, quæ eadem est cum subsequente, comitante, adiuuante, consistit in simultaneo, actuali, supernaturaliq; Dei concursu, influentis simul cum homine in actionem bonam; qui influxus non est realiter distinctus ab influxu potentiæ, neque illo prior ex naturâ rei, sed tantùm secundùm rationem.

83. Principium proximum effectiuum Physicè Gratiæ Cooperantis est Deus, extrinsece homini assistens, & cũ eo per seipsum immediatè illum causans influxum, qui sicuti & gratia excitans ad omne supernaturale opus requiritur.

84. Præter Gratiam Sufficientem datur etiam Efficax, quæ si sumatur in recto & principaliter, non est alia ab excitante congruâ; totaliter & adæquatè sumpta, connotat in obliquo gratiam adiuuantem. Efficax gratia non prædeterminat Physicè voluntatem ad actus eius bonos & liberos, tam in S. Augustini aliorumq; PP., quàm in S. Thomæ sententia. Hæc quippe prædeterminatio videtur repugnare libertati voluntatis.

85. Efficacia huius gratiæ consistit in eo, quòd ex vi ipsius & liberi arbitrij per se, contingenter tamen (hoc est ita vt posset fieri vel non fieri) fiat effectus, in ordine ad quem, ex præscientiâ eius infallibili & absolutâ intentione, à Deo datur. vnde necessitas connexionis effectus cum tali gratia non est antecedens & absoluta, sed consequens.

86. Causa principalis Physica Gratiæ propriè dictæ, est solus Deus, instrumentalis potest esse quæcunq; creatura: causa moralis homo, per solos actus ex peculiari Dei motione profectos, tanquam per congruentem dispositionem sese disponens; ex cuius dispositionis varietate, variatur etiam intensio Gratiæ habitualis.

87. Nullus Viatorum, citra specialem Dei reuelationem, certus esse potest fide Diuinâ, aut aliâ certitudine, cui non posit subesse falsum, & quæ tollat omnem formidinem, tam ex parte assentientis, quā ex parte obiecti, de sua Gratia vel perseuerantia; sed tantùm moraliter.

88. Facienti, quod in se ex supernáturali auxilio, & quod ad iustificationem requiritur, infallibiliter datur Gratia Iustificationis. probabile etiam est, quòd Deus regulariter & vt plurimùm, non quidem ex statutâ aliqua lege, sed ex infinita sua misericordia, det necessarium & ex se ordinatum ad salutem, Gratiæ actualis auxilium, facienti quantum ex se bene moraliter solis naturæ viribus; non quòd opus bonum morale, sit dispositio positiua ad Gratiam, sed tantùm per modum dispositionis negatiuæ, remouentis prohibens, sese habeat. Iustificans verò Gratia nullo titulo vnquā conceditur facienti quod in se est solis viribus naturæ.

89. Iustificatio impij est opus soli Deo proprium, in entitate, licet non in modo præcellens creationem. Formaliter sumpta consistit in duobus; in Remisione peccatorum, & Acquisitione Iustitiæ. Remisio non fit per solam non imputationem peccati, sed per veram eius ablationem. Iustitia autem est qualitas quædam spiritualis, supernaturalis, permanens, in ipsius animæ substantia subiectata, & à Charitatis, aliarumq; Virtutum infusarum habitibus distincta.

90. Pecca-

90. Peccatum mortale poteſt per abſolutam Dei potentiam remitti ſine Gratiæ habitualis infuſione, per actũ formaliter vel virtualiter retractantem peccatum; imò ſine tali actu, vel vllâ Phyſicâ hominis mutatione. In ordinaria impij iuſtificatione, præter remiſsionem peccati & Gratiæ infuſionem, infunduntur etiam virtutum ſupernaturalium & moralium per ſe infuſarum habitus.

91. Ad iuſtificationem adultorum requiruntur actus liberi ſupernaturales, tanquam diſpoſitio, à Gratia excitante atq; adiuuante profecti, motus Fidei, Spei, Pœnitentiæ, Timoris; Deſiderium etiam ſuſcipiendi Sacramẽta, & omnia ſeruandi mandata. Inter quos actus diſpoſitio vltima ad Gratiam habitualem, non procedit ab ipſâ efficienter & Phyſicè.

92. Opus de condigno meritorium, requirit ex parte Dei promiſsionem de prœmio dando: ipſum verò oportet vt ſit liberum ab omni neceſsitate & coactione, bonum bonitate honeſtatis, ex ſupernaturali gratiæ auxilio procedens, præmio proportionatum, & vt ſit viatoris grati Deo. Dicere verò ad rationem meriti non requiri exiſtentiam eius realem & abſolutam, ſed ſufficere ſolam ſub conditione exiſtentiam, Semipelagianorum errorem ſapit.

93. Non eſt neceſſe ad meritum, vt operans explicitè referat opus ſuum ad prœmium ſupernaturale, neque vt opus fiat aut imperetur, ex motiuo Charitatis. quodcunq; enim honeſtum & ſupernaturale motiuum, & actus tam Theologicarum, quàm infuſarum virtutum moralium, ſatis ſunt ad merendã vitam æternam, augmentumq́; Gratiæ & Charitatis.

94. Impius de potentia ordinaria non poteſt ſibi mereri Gratiam primam iuſtificantem de condigno; primam

verò Gratiam auxilij actualis neq; de congruo. Vltima tamen dispositio perfecta, qualis est Contritio & Dilectio Dei super omnia, non solùm est de congruo meritoria primæ gratiæ, sed etiam de condigno vitæ æternæ. Homo iustus non potest sibi mereri de condigno vel congruo gratiam reparationis pro eo dandam tempore, quo contingeret eum in peccatum mortale labi, posset tamen eam alteri mereri de congruo.

95. Iisdem operibus iustus meretur augmentum Gratiæ & Gloriæ de condigno, quibus ipsam Gratiam & Gloriam; hoc tamen meriti genere perseuerentiam in Gratia non potest mereri. Bona temporalia, quatenus conferunt ad opera virtutum & salutem, cadunt sub meritum iusti de condigno; at secundùm se accepta sub meritum de congruo. Nullus hominum de ordinariâ potentiâ mereri quidquam valet alijs de condigno: primam verò gratiam, & quæ sibi aliàs de condigno vel congruo potest mereri, alijs de congruo mereri potest.

96. Fides rectè definitur ab Apostolo, sperandarum substantia rerum, & argumentum non apparentium. Habet pro Obiecto adæquato res omnes reuelatas, ita vt ratio formalis obiectiua Propter quam, sit ipsa Reuelatio summæ Veracitatis Diuinæ: Ratio verò formalis obiectiua Quæ, sit omne illud attributum, quod de re quapiam à Deo est reuelatum: Ratio verò formalis Sub Qua, sit ipsa obscuritas. Vnde ex obiecti huius conditione prouenit, vt habitui vel actui fidei Diuinæ supernaturalis, aliquid subesse falsi, prorsus sit impossibile.

97. Actus Fidei Diuinæ, cùm non sit intrinsecè discursiuus, fit de omnibus immediatè articulis per simplicem iudicij intellectualis adhæsionem, ad propositionem obiectiuam, quatenus immediatè reuelatam à prima veritate

ritate. Ordinariè tamen ad assensum Fidei interuenit aliquis discursus antecedenter ac remotè; tanquam conditio applicans obiectum, & rationem formalē assentiendi.

98. In homine Hæretico, qui aliquem non credit fidei articulum, ad quem credendum obligatur, reuelatio Dei non est formalis ratio respectu illorum assensuum, quos elicit de alijs articulis, de quibus veram habet opinionem; quia ad hoc vt reuelatio Dei sit ratio formalis Fidei, requiritur, vt non tantùm sit vera secundùm se à parte rei, sed etiam sit vera respectu ipsius credentis, ab eoq; vt talis apprehendatur.

99. Conclusio Theologica, in quantum sumitur vt sufficienter per discursum Theologicum explicata, pertinet ad obiectum Fidei Diuinæ. eadem verò prout consideratur vt deducta ex præmissa immediatè reuelata vtraque, vel vna & altera lumine naturali nota, etiam per consequentiam, quantumuis necessariam, non ad Fidem, sed ad Theologiam ab ea distinctam pertinet.

100. Est in Ecclesia Dei Authoritas infallibilis ad proponendum, ac definiendum res à Deo reuelatas, & omnibus credendas. Potest verò de eodem obiecto materiali, etiam complexo, simul in eodem subiecto esse tum habitus Fidei, tum habitus scientiæ, vel alterius euidentis cognitionis, tum etiam habitus alterutrius illorum cum actu alterius. Probabilius autem est, actum fidei esse omnino incompossibilem cum scientifico, vel euidenti cognitionis actu.

101. Formalis Fidei Diuinæ actus cùm sit (quemadmodum & ipse habitus) in substantiâ suâ supernaturalis, non nisi supernaturali Dei auxilio ab homine elici potest. Porrò ad exercitium actus Fidei, semper (imò etiam ordinariè, & vt plurimùm ad speciem) requiritur actus voluntatis, in entitate sua supernaturalis.

102. De potentia Dei ordinaria, aliquis supernaturalis ex parte principij & rationis formalis Fidei actus, requiritur necessariò necessitate medij ad vtramq; salutem omnibus adultis, in quocunq; ij statu versentur. De potentia tamen absoluta, non est necessarius vllâ necessitate actus Fidei, quomodocunq; supernaturalis. Habitus Fidei est simul practicus & speculatiuus, formaliter, licet principaliùs speculatiuus. per actus oppositos Physicè aut saltem demeritoriè, iuxta ordinariam Dei potentiam, non diminuitur, semper tamen per infidelitatem contrariam sibi tollitur.

103. In quouis statu necessarium fuit omnibus ad salutem, necessitate medij, credere in aliquem in communi Mediatorem, & à peccatis Redemptorem; atque adeò in Christum Dominum saltem implicitè. In statu verò Euangelij Incarnatio Christi Domini, Mors, & Resurrectio, hæc tria ad minimum necessitate medij sunt credenda; quâ etiam ratione, Fides Mysterij SS. Trinitatis explicita requiritur. Vtraque autem hæc SS. Trinitatis & Christi D. Fides, sufficiens est ad salutem simplicib⁹, si ita ab illis credatur vt solùm substantia Mysteriorum conceptâ, assensus Fidei circa hæc eliciatur.

104. Nunquam ex vlla causa positiuè, directè vel indirectè, Fides vera negari licitè potest. Neq; excusantur ij qui exercent actiones, falsæ cuipiam sectæ proprias, vel signis tam Rerum quàm Verborum eidem Religioni proprijs, nilq; aliud quàm eius professionem significantibus vtuntur. Longè autem alia est ratio de signis ex se hominumq; acceptione indifferentibus; quibus vti, secluso scandalo, ob finem bonum non prohibetur.

105. Merè negatiua Infidelitas non est peccatum; contraria autem, est ex suo genere mortale. Infidelitatis à

S. Tho-

S. Thoma tres rectè assignantur Species. Paganismus scilicet, Iudaismus & Hæresis; quæ cùm sint essentialiter diuersæ, eas differre secundùm speciem à se inuicem oportebit.

106. Hæreticus propriè loquendo non est is, qui totaliter à fide recedit, & omnes eius negat veritates. Posito quòd euidenter sufficienterq; constet, aliquod obiectum particulariter alicui esse reuelatum, ei tunc discredere, saltem æquiualenter in foro interno erit Hæresis.

107. Obiectum Spei Theologicæ, est Beatitudo formalis & obiectiua; Deus scilicet ipse, summum Bonum nostrum. Auxilium verò Dei supernaturale ad consequendam Beatitudinem, & media ad illam, est ratio formalis obiectiua propter Quam.

108. Porrò difficultas, ob quam obiectum spei est arduum, non in vna consistit ratione; sed quæcunq; inuenitur quæ voluntatem ab obiecti bonitate deterrere aut retardare potest, ea sufficit ad obiectũ spei constituendũ.

109. Spes informis, siue Charitatis formâ spoliata, quemadmodum & Fides eodem modo accepta, est verè ac essentialiter, quamuis non omnimodè & absolutè perfecta Virtus. Spes verò hæc Christiana, ab alijs duabus Theologicis, & à quibusuis moralibus, tam realiter quàm formaliter diuersa est, virtutibus.

110. Ex actibus ad spem Theologicam spectantibus, primarius & principalis est futuræ Beatitudinis expectatio. Actus amoris concupiscentiæ & fruitionis, quibus Beati in patria circa Deum vt possessum versantur, ab eodem habitu Spei producuntur.

111. Actus Spei propriè dictus est nunc in Beatis. estq; in illis idem specie habitus Spei Theologicæ cum eo, qui est in viatoribus alijs: vel idem etiam numero cum eo, quem ipsimet habuerunt in via. 112. Vir-

112. Virtus Theologicæ Spei in quocunq; subiecto est certa, etiam in homine viatore. Proximum inhæsionis subiectum tam respectu habitus, quàm respectu actus Diuinæ Spei, est sola voluntas; mediatum verò, Anima, siue alia natura creata rationalis. Nullus damnatorum, Infidelium, Hæreticorum, Spei Diuinæ subiectum esse potest: Animæ tamen Purgatorij rectè in Deo sperare dici possunt.

113. Desperatio ex genere suo est peccatum minùs graue infidelitatis peccato, ac odij Dei; Maius tamē peccatis contra virtutes morales. Consistit in recessu positiuo voluntatis ab obiecto spei, prout iudicato ad obtinendum impossibili, vel non obtinendo.

114. Licet ordine durationis spes sit posterior fide, tam in prima productione, quàm in augmento; est tamen prior charitate (plerumq; verò omnes hæ virtutes simul primò producuntur & augentur) ordine etiam naturæ spes posterior est fide, sine qua, quemadmodum sine Charitate potest, nequaquam existet.

115. Timor seruilis ex se & absolutè est bonus, licet secundùm rationem seruilitatis posit esse malus. Distinguitur verò specie & secundùm substantiam à casto & filiali, potestq; simul cum Charitate manere. Solus tamen filialis est Donum Spiritus S. In patria remanet partim habitus timoris tam filialis quàm seruilis; partim actus aliqui filiales, non tamen seruiles.

116. Charitas est vera hominis cum Deo ac perfecta amicitia, eius actus, est quid creatum, itemq; habitus, qui in voluntate inhæret. Eius causa physica est solus Deus: meritoria, creatura rationalis, per actus ex motiuo supernaturali elicitos, quantumuis remissos. Per quosuis enim actus supernaturales augetur habitus Charitatis, sicut per

cut per solam aliquam maiorem actus durationem, potest aliquod in eodem habitu causari augmentum. Augmentum Charitatis est verè intensiuum, fitq; secundùm intrinsecam entitatem formæ ipsius Charitatis. Cùm verò Charitas in infinitum crescere posit, nullus ei posibilis datur terminus.

117. Habitus Charitatis, etiam quantumuis remissus, est vera, perfecta, Theologica, re & essentiâ ab omnibus alijs distincta, vnaq; secundùm speciem infimam Virtus; imò, Virtutum omnium excellentissima & Regina. Præter supernaturalem Charitatem, datur acquisita & naturalis Charitas Dei & proximi, tam actualis, quàm habitualis. Quod idem de alijs quoque Virtutibus asserendum est.

118. Charitas potest totaliter amitti per solum peccatum mortale, per quod moraliter tantùm ac demeritoriè, non autem physicè in genere causæ efficientis vel formalis, expellitur. Quamuis autem absolutè diminui Charitatem, per propriè acceptam remissionem non repugnet, nunquam tamen de lege ordinaria sic in homine diminuitur.

119. Ordo Charitatis debet esse secundùm appreciationem, itaq; inprimis obiectum, quod summè & super omnes alias res creatas diligi necessariò debet, est Deus Opt: Max. Rursum obiectiuè & secundùm extensionem, Deus absolutè est magis diligendus, quàm vlla creatura; per accidens tamen & in quibusdam circumstantijs, hæc magis aliquando diligi potest quàm ille.

120. In vniuersum loquendo, & præscindendo à bonis, quæ nobis vel proximo volumus, vnusquisq; se magis quàm proximum ex ordine Charitatis, tum appreciatiuè, tum obiectiuè, tenetur diligere: quæ regula maximè in

 mè in

mè in bonis, ad ſalutem æternam, tam noſtram quàm aliorum pertinentibus, locum habet; nam in bonis quæ ex nulla obligatione tenemur nobis aut alijs velle, cuiuſcunq; illa generis & ordinis ſint, licitè alterutrum alteri præferre poſſumus.

121. Poteſt laudabiliter vnuſquiſq; imò & aliquando tenetur magis proximos quoſcunq; diligere, quoad bona eorum ad æternam ſalutem neceſſaria, quàm ſeipſum quoad bona quæcunq; ſiue corporis, ſiue fortunæ, ſiue animæ, quæ ad ſuam propriam ſalutem non pertinent, neq; ex alio capite retinendi illa, eſt obligatio.

122. Iuſtum ſeu Ius per Apocopen, prout ſignificat æquale debitum alteri eſt obiectum Iuſtitiæ. quæ rectè definitur eſſe, Virtus inclinans ad reddendum vnicuique ius ſuum. Tota rectitudo Iuſtitiæ ſumitur per ordinem ad alterum, tanquam ad normam.

123. Materia Iuſtitiæ ſunt actiones externæ, vel res, quibus homines inter ſe communicant: in his enim reperitur ratio formalis Iuſtitiæ, quam ipſa intendit, ſcilicet æqualitas. Medium Iuſtitiæ non eſt rationis ſolùm, ſed præterea rei, quod ſcilicet in rebus ipſis eſt, & non à ſola ratione præſcribitur operanti.

124. Ius rectè ſufficienterq; diuiditur in Naturale & Poſitiuum ad quam Diuiſionem reliqua omnia membra, Ius diuidentia, reuocari poſſunt. Iuſtitia quâ circa bonum communitatis, vt tale eſt verſamur, eſt virtus quædam ſpecialis, diſtincta tam ab Iuſtitia, particulare bonũ attendente, quàm ab alijs virtutibus moralibus.

125. Inter Virum & Vxorem, Patrem & Filium, Seruum & Dominum, quatenus hi tales ſunt non eſt verè & propriè dicta Iuſtitia; poteſt tamen eſſe, ſi habeatur ratio contractuum ciuilium, quos aliorum ciuium more inter

se contrahere possunt. Iam verò, quemadmodum nemo potest facere iniustum propriè & formaliter nisi volens, ita nemo potest formaliter pati iniuriam, nisi nolens. Potest tamē actio iniuriosa aliquomodo esse patienti volita.

126. Actus Iudicij, etiam procedens cum auctoritate & virtute coërcitiua & obligatoria, licitus est. Neque vt procedit à Iudice malitiâ mortali infecto, ipse malitiam mortalem contrahit. Iudicium temerarium, si sit plenè deliberatum de graui malo proximi, est peccatum ex suo genere mortale. Suspicio & dubium non item, nisi cùm ex prauo affectu procedunt. Porrò peccatum Iudicij temerarij videtur esse semper eiusdem speciei in genere iniustitiæ.

127. Iudex qui non sit supremus, tenetur semper iudicare secundùm leges scriptas: nisi in aliquo casu lex, alioqui iusta, repugnet manifestè æquitati naturali. Cæterùm, quando verba legis in aliquo casu occurrenti contraria sunt mēti Legislatoris, Iudex etiam inferior debet secundùm mentem iudicare, non secundùm verba.

128. Quando legis sententia ambigua est, & à partibus vtrinq; probabiliter explicatur, tenetur iudex sequi probabiliorem eius interpretationem. Idem quoad quæstionem Facti, debet iudicare secundùm allegata & probata; non tamen in pœna sanguinis, quando habet euidentiam de innocentia Rei. Et in pari vtriusq; partis probabilitate non potest alterutram condemnare; sed debet secundùm proportionem probabilitatis, ius vtrique proportionaliter adiudicare.

129. Iustitia particularis rectè diuiditur in Commutatiuam & Distributiuam; quarum hæc Geometricam, illa Arithmeticam proportionem seruat. Ambæ sunt species infimæ Iustitiæ particularis: ambæ verè & propriè

reperiuntur in Deo. Tributa iustè imposita debentur ex iustitia commutatiua: Eleemosyna verò extremè indigenti ex sola Charitate.

130. Omnis & sola natura rationalis est capax dominij. Homo est Dominus famæ propriæ, & Iure gentium, alterius hominis; vitæ, nec ipsa Respublica; Beneficiarij Ecclesiastici fructuum eorum, qui congruæ sustentationi redundant; Eos verò si in opera pia non expendant, peccant contra Charitatem & præcepta Ecclesiæ. Præscriptio transfert dominium etiam in conscientia; nec requirit negligentiam in Domino, sed tantùm possessionem bonæ fidei, per tempus à Lege præscriptum.

131. Lex tributaria, licet non ipso facto transferat dominium in Remp. obligat tamen cum restitutione, etiam ex Iustitia, nisi secus de mente Legislatoris constet: Tributa verò, eo ipso quòd Quæstoribus Reipub. traduntur, transeunt in dominium Reipub, adeò vt Quæstores, si eâ pecuniâ, in rem suam vtantur, peccent, non secus ac depositarij, cùm deposito vtuntur; cùm vsus rei alienæ sit illicitus. Non tenentur tamen ad restituendum, nisi aliquod inde damnum Reipub. sequatur, aut lucrum cesset. Sed si in locum melioris quoad valorem intrinsecum monetæ, peiorem, magisq; ærosam substituant, id omnino reddit eos restitutioni obnoxios; præterquam quod etiam periuri sint, quòd contra Iuramenti formulam, pecuniâ publicâ, in commodum suum vtantur.

132. Restitutio est actus Iustitiæ commutatiuæ necessaria ad salutem non necessitate medij, sed præcepti, quod affirmatiuum formaliter, radicaliter negatiuum est. Quantitas restitutionis notabilis, non per comparationem ad personas, neq; ex valore pecuniæ desumitur, sed ea rationabiliter censeri potest, cuius valor sufficiat ad conducendas operas vnius diei.

133. Vsur-

133. Vſurpator rei alienæ, non neceſſariò peccat de nouo toto eo tempore, quo rem alienam detinet, ſed quoties ſciens & volens opportunitatem reſtituendi omittit. Communi conſenſu concurrentes ad actionem damnoſam, tenentur ſinguli in ſolidum, ratione iniuſtæ damnificationis. Ille qui per furta minuta diuerſis dominis facta, etiam abſque intentione diteſcendi notabilem quantitatem colligit, & apud ſe retinet, peccat mortaliter in genere Iniuſtitiæ; quia habet plus notabiliter quàm ſuum ſit.

Ex tertia parte.

134. DIuinæ Incarnationis Myſterium, quod in coniunctione naturæ humanæ & Diuinæ in eadem perſona conſiſtit, adeo omnem captum intellectus creati excedit, vt nullâ ratione naturali demonſtrari eius poſsibilitas poſsit. Ratio Incarnationis, licet poſsit per intellectum per modum cuiuſdum rationis communis concipi, tamen à Theologo conſideratur primò & principaliter hæc ſingularis Incarnatio, prout de facto eſt exercita.

135. Fuit verò Incarnatio ad redimendum genus humanum ex perfecto rigore omnino neceſſaria. Nam pura creatura quantalibet gratiâ prædita ſit, etiam ſi fieri poſſet infinitâ ſecundùm intenſionem, non poteſt ad æqualitatem pro peccato Deo ſatisfacere; quamuis poſſit ſatisfacere imperfectè, idq; tam pro ſe, quàm pro alijs.

136. Opera Chriſti Domini tam in genere meriti, quàm in genere condignæ ſatisfactionis ſunt infiniti valoris, ex eo quòd proficiſcantur à perſona Diuina, quæ eſt infinitæ dignitatis, tanquam principium Quod. Fuit ergo ſatisfactio Chriſti ex perfecta & rigoroſa Iuſtitiâ, habuitq; omnes conditiones quæ ad perfectam Iuſtitiam

per se requiruntur. Cæterùm probabilius est, iustitiam ex qua Christus satisfecit, quæq; potest intercedere inter nos & Deum, esse eiusdem speciei infimæ, cum Iustitia commutatiua, quæ cernitur inter homines.

137. Quamuis probabile sit, decretum de Incarnatione Christi fuisse in Deo ante præscientiam peccati Adæ; probabilius tamen est, id quod sentit D. Thomas, idem decretum posterius esse præscientiâ peccati eiusdem, licet sit prius præscientiâ peccatorum actualium, quin & originaliũ in re ipsa à singulis posteris Adæ contractorũ.

138. Finis motiuus Cuius gratia respectu Incarnationis Christi, fuit redemptio & salus nostra: finis verò tantùm impulsiuus respectu ipsius Redemptionis, atq; adeò respectu Incarnationis, fuit Gloria & Exaltatio Christi Domini, quæ ex Redemptione nostra resultat. Iam verò finis Cui sumus partim nos, partim Christus Dominus.

139. Non solùm ex vi decreti, ex quo de facto Christus est Incarnatus, non potuit Incarnari si Adam non peccâsset, sed etiam absolutè loquendo, Verbum caro factum non fuisset, si Protoplastus non peccasset. Attamen ex vi primi decreti Incarnationis, Christus incarnatus fuit, vt nos redimeret non solùm à peccato Originali, sed etiam à peccatis actualibus; magis tamen & præcipuè Incarnatus fuit propter remedium peccati Originalis, quàm propter remedium peccatorum actualium.

140. Fides Catholica docet, in Christo duas esse naturas distinctas, humanam scilicet & Diuinam, nec per Incarnationem ita esse vnitas, vt faciant vnam naturam; hoc enim non solùm fidei, sed etiam ipsi naturali lumini repugnat. Quare firmiter tenendum est, in Christo vero Deo & homine, vnam tantùm esse personam ex duabus & in duabus naturis subsistentem.

141. Certum etiam eſt, Chriſtum eſſe ſubſtantiale Compoſitum ex humanitate & perſona Verbi, vnionéq; humanitatis cum Verbo eſſe ſubſtantialem: ac proinde humanitatem Verbo conuenire non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter. Porrò Perſona Chriſti præcisè, ſecundùm rationem formalem ſubſiſtendi conſiderata, non poteſt dici compoſita. Si verò ſumatur pro indiuiduo completo naturæ humanæ, poteſt & debet dici compoſita; quæ compoſitio proximè intercedit inter ſubſiſtentiam Verbi & humanitatem, conſequenter autem inter duas naturas, Diuinam ſcilicet & humanam.

142. Vnio naturæ humanæ cum Perſona Dei eſt aliquid creatum; neq; enim in Incarnatione vniuntur extrema formaliter ſeipſis, nec per aliquam entitatem, quæ ſit de genere qualitatis; ſed per modum quendam ſubſtantialem à Deo productum, exiſtentem quidem in natura humana, quam intrinſecè modificat, terminatum tamen ad Verbum.

143. Actio productiua humanitatis Chriſti non eſt formaliter vnitiua eiuſdem cum Verbo, nec humanitas Chriſti exiſtit in rerum natura per exiſtentiam increatã, ſed per creatam; quæ tamen non eſt omnino perfecta & completa in genere ſubſtantialis exiſtentiæ. terminus igitur formalis, vt Quo actionis vnitiuæ in Incarnatione, eſt vnio hypoſtatica, actionis verò generatiuæ, quâ Chriſtus genitus eſt Homo, eſt vnio animæ cum corpore: terminus autem vt Quod reſpectu vtriuſque actionis eſt Chriſtus homo Deus. Quare Beata Virgo in omni proprietate dicenda eſt Deipara.

144. Potuit fieri per abſolutam Dei potentiam, vt Beata Virgo aſſumeretur tanquam Inſtrumentum ad vnionem hypoſtaticam producendam: de facto tamen non

eſt omni-

eſt omnino certum, ſed ſolùm probabile illam phyſicè & inſtrumentaliter concurriſſe ad prædictam Vnionem: quòd ſi concurrit, per illa potiùs verba, Fiat mihi &c. quàm per vllam aliam actionem eam concurriſſe probabile eſt.

145. Vnio hypoſtatica duarum naturarum in Chriſto, formaliter loquendo eſt maxima, tam in ratione vinculi & vnionis, quàm in ratione doni. quod donum quoad ſubſtantiam ſuam acceptum, nec Chriſtus Dominus, tam per opera antecedentia, quàm ſubſequentia, nec SS. Patres vllo meriti genere, meruerunt. imò probabiliùs eſt implicare contradictionem ſubſtantiam Incarnationis cadere ſub meritum de condigno, licet non ſub meritum de congruo.

146. De facto SS. Patres nonnullarum circumſtantiarum huius Incarnationis executionem meruerunt de congruo. Beatiſsima Virgo quamuis reliquas circumſtantias, quas SS. Patres meruerunt, longè perfectiùs mereri potuerit, ipſam tamen Maternitatem, etiam ſuppoſito aliunde decreto de Incarnatione exhibenda, mereri de condigno non potuit. Eſt enim hæc tanta dignitas, vt omne meritum puri hominis de condigno excedat.

147. Soli Diuinæ ſubſiſtentiæ ob ſuam infinitatem conuenit naturam alienam terminare, ſubſiſtentiæ verò creatæ probabilius eſt omnino repugnare; niſi fortè quis dicat, ſubſiſtentiam creatam diſtingui à propria natura vt rem à re. Iam verò Aſſumere, quatenus ſignificat actionem cauſæ efficientis, commune eſt omnibus tribus Diuinis Perſonis; quatenus autem ſignificat eſſe terminum aſſumptionis, ſic conuenit per ſe & primariò ſoli Perſonæ Verbi; Naturæ verò Diuinæ non niſi ſecundariò, idq; ratione perſonæ huius. Gratia vnionis eſt naturalis Chriſto.

147. Po-

148. Potest assumi natura creata ad solam subsistenstentiam absolutam. cæterùm præter subsistentiam nullum aliud attributum Diuinum potest ita creaturæ immediatè communicari, vt ei conferat suum esse formaliter, non solùm informando, sed nec terminando.

149. Plures personæ Diuinæ vnam naturam humanã etiam simul terminare potuissent, imò & vna persona plures naturas. In vtroque verò casu non constituerentur plures homines, sed vnus. Humanitas Christi, licet ab vna tantùm persona assumpta sit, reliquæ tamen personæ sunt in Christo per peculiarem modum concomitantiæ, non solùm per immensitatem & omnipræsentiam.

150. Licet natura humana, ob congruentias sibi proprias, magis quàm vlla alia substantia creata fuerit assumptibilis à Filio Dei; tamen tam Angelicam, quàm aliam quamcunque naturam, etiam irrationalem, ad vnionem hypostaticam Verbi assumi potuisse, omnino probabilius est.

151. Non solùm autem naturæ substantiali completæ, sed etiam materiæ primæ, omni substantiali formâ spoliatæ, & eâdem informatę, Verbum ita vniri potest, vt nec formæ, nec composito vniatur. Forma verò materialis vnita materiæ, secundùm eum modum quo connaturaliter eam informat, non potest assumi quin assumatur materia; eandem tamen vnitam materiæ, etiam sine assumptione eiusdem materiæ aut compositi, absolutè assumi non repugnat.

152. Partes integrales etiam separatim, ita vt vnâ assumptâ non assumatur alia, secundùm hypostasim Verbo vniri possunt, non possunt autem formæ vllæ accidentales. Naturam propriâ subsistentiâ terminatam, repugnat simul Diuinâ terminari. Quare Verbum Diuinum neq;

humanam perſonam, nec propriè loquendo hominem, ſed naturam humanam ex ſtirpe Adam aſſumpſit.

153. Iam verò corpus Chriſti Domini cum omnibus ſuis partibus, ijs præſertim quæ animâ rationali informãtur, immediatè Verbo vnitum, verum, humanum, eiuſdemque rationis cum noſtro corpore fuiſſe, fides Catholica docet. Animæ quoq; rationali aſſumptio immediata, iuxta eandem fidem Catholicam, non eſt deneganda; quin imò ſanguinem totum immediatè Verbo vnitum fuiſſe certum eſt; quæ vnio etiam alijs tribus humoribus humani corporis, dentibus item, capillis, vnguibus, probabiliter concedi poteſt.

154. Neq; corpus Chriſti Domini conceptum, neque anima creata, neque humanitas eiuſdem, ex vtroque conflata priùs exſtiterunt tempore, quàm Verbo vnirentur, ſed cum partibus integralibus corporis vltimò diſpoſiti ſimul ſunt aſſumpta; partes verò ſucceſsiuè per nutritionem aggeneratæ, ſucceſsiuè ſuam vnionem acceperunt.

155. Ordine executionis caro Chriſti priùs naturâ fuit vnita Verbo, quàm anima eidem Verbo aut corpori vniretur. Humanitas verò in eodem ordine aſſumi non potuit, niſi partibus eiuſdem inter ſe vnitis; ordine tamē intētionis priùs naturâ Verbo eſt vnita humanitas, quàm aut partes vnirentur inter ſe, aut aſſumerentur ſecundùm ſe. Natura humana connaturaliter loquendo priùs naturâ intelligitur aſſumpta, quàm accidentibus informata; licet contrarium non inuoluat contradictionem.

156. Licet humanitas Chriſti fuerit abſolutè & ſimpliciter ſancta ex vi ipſius vnionis, ita vt forma ipſa ſanctificans fuerit Perſona Diuina Verbi, non autem vnio; fuit tamen nihilominus in ea Gratia habitualis ſanctificans, eiuſdem omnino ſpeciei Phyſicè, cum noſtrâ,

quæ

quæ ad modum proprietatis connaturalis vnionem Personalem consequebatur, consecutione non Physicæ emanationis, sed proportionis cuiusdam naturalis tali vnioni debitæ. Fuit autem in humanitate Christi in totâ suâ perfectione ab instanti conceptionis.

157. Humanitas Christi Verbo vnita, indiget etiam gratiâ excitante ad supernaturales actus, accommodatâ tamen statui in quo est constituta. Gratia similiter adiuuans ad eosdem supernaturales actus eliciendos, tam necessaria fuit Christo Domino, quàm nobis. Omnes præterea Virtutes morales infusæ fuerunt in Christo, seclusis tamen ijs imperfectionibus, quæ vel peccatum supponũt, vel Beatitudinis statui, quem Christus ab initio suæ Conceptionis habuit, repugnant.

158. Non solùm autem virtutes infusæ, sed etiam virtutes naturales, & ex suo genere acquisitæ, fuerunt in Christo Domino in gradu perfectissimo. Omnes autem hæ virtutes datæ fuerunt Animæ Christi Domini ab instanti suæ Conceptionis.

159. In Christo non fuit habitus intellectualis fidei, fuit tamen in eo habitus ille voluntatis, qui, proposito sufficienter obiecto Fidei, inclinat intellectum ad assentiendum rebus à Deo reuelatis. Habitus similiter Spei, quatenus dicitur virtus Theologica, non fuit in Christo.

160. Habuit tamen Christus Dominus aliquem actũ Spei; quia sperauit corporis gloriam, & alia dona, quæ in vita non habuit. Imò probabilius est etiam in sententia D. Thomæ, fuisse in Christo Domino habitum Spei illum ipsum physicè loquendo, qui est habitus Theologicus, quamuis non sub denominatione habitus Theologici.

161. Fuerunt etiam in Christo Dona Spiritus sancti, & gratiæ gratis datæ, imò plenitudo gratiæ; siue ea sumatur

matur pro collectione gratiarum omnium, includente etiam ipſam Gratiam Vnionis; quo pacto dicitur habere gratiam tantam, vt maiorem habere non poſsit, quia & Vnio ipſa eſt donum in ſe infinitum, & reliqua dona infinitè dignificat: ſiue accipiatur pro exuberantiâ ſolius gratiæ habitualis præcisè conſideratæ, quæ ſcilicet in eo conſiſtit, quòd Chriſtus habuerit ſummam gratiam & ſecundùm intenſionem, & ſecundùm virtutem, fuitq; hæc plenitudo gratiæ propria Chriſto Domino.

162. Licet gratia habitualis illius fuerit finita ſecundùm intenſionem, ita vt de potentiâ abſolutâ potuerit augeri; de ordinariâ tamen potentiâ nulla gratia poteſt eſſe in vllâ purâ creaturâ, quæ ſit æqualis gratiæ Chriſti: eadem gratia habitualis, vt eſt in Chriſto, habet aliquam perfectionem in eſſe morali, ratione cuius poteſt dici ſecundùm quid infinita, id eſt, in æſtimatione morali, ſeu vt alij loquuntur in eſſe gratiæ.

163. Chriſtus in quantum homo eſt caput totius Eccleſiæ, tam militantis quàm triumphantis, quæ ex hominibus conſtat; atq; adeo eſt caput omnium prorſus hominum, ſaltem pro aliquo ſtatu, imò etiam omnium Angelorum. Non poteſt autem Chriſtus Dominus dici caput reſpectu creaturarum, quoad eſſe ipſorum naturale, licet poſsit dici Dominus.

164. Gratia Capitis non fuit in Chriſto diſtincta à Gratia habituali & Gratia Vnionis, cùm in vtraque ſimul conſiſteret. proprium autem Chriſto Domino eſt eſſe caput, quoad internum influxum gratiæ; quoad exteriorem verò gubernationem, non ſolùm Chriſto conuenit eſſe caput, ſed etiam alijs, dependenter ab illo. Dæmon etiam & Antichriſtus rectè dicuntur caput malorum; ille quidem quia ſuggeſtione & ſuaſione ad malum inuitat; hic

tat; hic verò propter excessum & abundantiam malitiæ.

165. De Fide est fuisse in Christo Domino actum intelligendi creatum, imò Intellectus animæ Christi non potuit, etiam de absolutâ Dei potentiâ formaliter intelligere, aut cognoscere in actu secundo quidquam, per intellectionem increatam & Diuinam. Certum etiam esse videtur, in Christo Domino fuisse actus naturales intelligendi, & non solos supernaturales.

166. Omnis verò actus Intellectus, qui fuit in Christo, fuit verus, certus & euidens, ita vt probabilius videatur ne de potentia quidem absoluta potuisse Christum Dominum habere aliquem errorem, etiam inculpabilem, in intellectu.

167. In Christo Domino fuit Visio Beatifica ab instanti Conceptionis per quam cognoscit absolutè omnia, quæ vnquam in aliqua differentia temporis existunt. Omnia verò possibilia cognosci tam in Deo, quàm vllâ aliâ cognitione extra Deum, implicat contradictionem.

168. Præter scientiam beatam habuit Christus Dominus scientiam infusam, in sua entitate supernaturalem, per quam cognoscebat res omnes ad naturæ ordinē pertinentes; omnes item effectus supernaturales, atque adeo omnes veritates, non solùm vniuersales & necessarias, sed etiam singulares & contingentes, imò omnia singularia & indiuidua cuiuscunq; speciei, quæ in aliqua temporis differentia existunt.

169. Non cognouit tamen quidditatiuè Diuinam essentiam per hanc scientiam, licet Mysterium SS. Trinitatis, saltem quoad Quæstionem An sit?, per eandem scientiam probabilius sit eum cognouisse. Actus huius scientiæ non necessariò dependent à phantasmatibus, licet actus cognitionis rerū materialium potuerint dependere.

170. Hæc ſcientia, neque quoad ſui acquiſitionem, neque ex natura ſua in actu eſt diſcurſiua; potuit tamen Chriſtus Dominus eâ vti cum diſcurſu. Fuit autem maior & præſtantior ſcientiâ Angelorum naturali, tum ratione certitudinis, tum ratione extenſionis ad plura obiecta: ratione tamen ſubiecti & modi cognoſcendi inferior fuit ſcientiâ Angelicâ.

171. De potentia ordinaria, non potuit Chriſtus Dominus per hanc ſcientiam omnia obiecta vnico, vel omnibus actibus ſimul & ſemel cognoſcere. Species huius ſcientiæ de facto ſunt plures in Chriſto Domino, iuxta videlicet pluralitatem naturarum ſpecificarum ſubſtantialium, atque ita minùs vniuerſales ſpeciebus Angelicis. Sunt autem hæ ſpecies in entitate ſuâ ſupernaturales.

172. Porrò præter ſpecies infuſas, neceſſarium etiam eſt aliquod lumen ſupernaturale, à lumine gloriæ diſtinctum, ex parte intellectus, per quod eleuetur ad concurrendum vnà cum ſpecie intelligibili ad actum huius ſcientiæ infuſæ. Hoc verò lumen eſt qualitas quædam ſeu habitus ſupernaturalis in ſua entitate ſimplex.

173. Fuit præterea in Chriſto Domino alia ſcientia acquiſita, ſemper ſecundùm tempus & ætatem eius perfecta, per quam cognoſcebat omnia illa, quorum ſpecies intellectus poteſt ex cognitionibus ſenſitiuis & phantaſmatibus decerpere. Et ſpecies quidem experimentales huius ſcientiæ, ſucceſsiuè Chriſtum Dominum acquiſiuiſſe certum eſt; alias autem ab his diuerſas, vtrum eodem modo acquiſiuerit, an verò ab initio conceptionis ſuæ infuſas habuerit, incertum eſt: probabilius verò eſt eas etiã à Chriſto ſucceſsiuè fuiſſe acquiſitas. Porrò Chriſtus Dominus nihil tam ab hominibus, quàm ab Angelis didicit, quod antea neſciret.

174. Omni-

174. Omnipotentia Diuina quâ Deus formaliter est omnipotens, nec fuit communicata, nec potuit Christo Domino communicari, ita vt per eam formaliter dici possit omnipotens in quantum homo. fuit tamen in eo, per modum habitus, vis faciendi miracula & opera supernaturalia.

175. Probabilius est humanitatem Christi Domini physicè concurrisse ad facienda miracula, & alios effectus supernaturales, non quidem per modum causæ principalis, sed tantùm per modum causæ instrumentalis. Principium verò Physicū huius concursus in humanitate Christi, non fuit ipsa vnio hypostatica, neque aliqua qualitas ei inhærens, sed virtus eius obedientialis actiua.

176. Omnia, quæcunque Christus D. volebat fieri per voluntatem suam naturalem, efficere poterat: ea verò, quæ fieri volebat miraculosè, poterat efficere instrumentaliter: quæ verò nec per se, nec miraculosè fieri volebat, sed ita, vt per alios connaturali modo sibi operantes fierent, ea interdum facere poterat, interdum non.

177. Christus Dominus assumpsit defectus illos naturales corporis humani, qui tale corpus naturaliter consequuntur; non contraxit tamen necessitatem subeundi hos defectus eo modo, quo nos contraximus. supposità nihilominus dispositione naturali corporis Christi, & positâ applicatione causarum naturalium, subijt Christus Dominus necessitatem his defectibus subiacendi, si ij comparentur respectu humanæ voluntatis præcisè considerata.

178. Omnes tamen hi defectus, quos Christus Dominus assumpsit, fuerunt ei voluntarij etiam secundùm humanam voluntatem, per modum obiecti voliti & amati, imò etiam per modum effectus, quia causas & occasiones

horum

horum defectuum voluntariè aſſumebat. Porrò defectus illos, qui ex particularibus cauſis in quibuſdam hominibus ortum habent, vt ſunt deformitas corporis, morboſitas &c. Chriſtus Dominus non aſſumpſit.

179. De fide eſt nullum de facto in Chriſto Domino fuiſſe peccatum, quinimò, nec vllà ratione eſſe potuiſſe, certiſsimum omnino eſt. quippe humanitas Chriſti ex vi Vnionis hypoſtaticæ præcisè reddita eſt omnino etiam physicè impeccabilis.

180. Non repugnat per abſolutam Dei potentiam remanere in natura aſſumpta habitus phyſicos vitioſos, imò nec videtur repugnare eidem naturæ aſſumptæ exercere aliquem actum materialiter peccaminoſum. Reatus pœnæ ſeu obligatio ad ſoluendam pœnam pro peccato, optimè poteſt cohærere, & de facto cohærebat in Chriſto Domino, cum vnione hypoſtatica.

181. Nulla fuit in Chriſto Domino fomitis inclinatio in actu ſecundo, imò ipſe fomes, etiam in actu primo acceptus, in eo fuit extinctus; licet per abſolutam Dei potentiam quoad vtrumque actum eſſe potuerit. Quamuis autem probabile ſit motiones appetitus ſenſitiui fuiſſe ſemper in Chriſto ex poſitiuo imperio voluntatis; tamen poterant etiam eſſe ex ſola permiſsione.

182. Anima Chriſti Domini fuit paſsibilis, tum ratione corporis, tum ratione appetitus animalis, cuius affectiones dicuntur paſsiones, quia fiunt cum alteratione organorum. Fuit ergo in Chriſto Domino amor ſenſibilis, deſiderium, delectatio, ſpes, audacia, dolor, triſtitia, admiratio, ira: imò & timor, ſaltem quatenus is ſumitur pro diſplicentia mali futuri. Fuit præterea in Chriſto Domino ratio Viatoris ſecundùm corpus, & ſimul ratio Comprehenſoris ſecundùm animam.

183. Ex vni-

183. Ex vnione hypostaticâ in Christo, secuta est aliqua proprietatũ communicatio inter naturas vnitas, quæ non ex eo ortum habuit, quòd attributa Diuina ita sint communicata humanitati, vt tribuant ei formaliter & immediatè rationem suam formalem, illamque in suo genere actuent.

184. Tota ratio communicationis idiomatum est, quia quandocunque duę formę vel naturę in eodem supposito vniuntur, possunt de illo prædicari, sub nominibus idem suppositum connotantibus; qualia sunt e. g. nomina concreta. possunt etiam prædicari de seipsis mutuò, imò & proprietates vnius de altero, scilicet in concreto.

185. Nec naturæ, nec proprietates earum in abstracto, possunt prædicari de alia natura inconcreto, nec contrà. Prædicationes tamen quæ sumuntur ab ipsa ratione formali suppositi Diuini, quamuis cum ordine ad humanitatem, modò non sumantur ab ipsâ humanitate, vel ab aliqua forma ipsi propria, possunt conuenire etiam in abstracto Diuinitati.

186. Inter partes vnius perfectæ & completæ naturæ, licet vniantur eidem supposito, non potest esse communicatio idiomatum. Naturæ quoq; vnius attributa, non possunt dici de alia natura etiam in concreto, cum particula reduplicante absolutè sumptâ.

187. Diuinitas & attributa illius, non prædicantur de humanitate Christi ijs modis, qui ex vi significandi excludunt prædicationem eiusdem Diuinitatis & attributorum de eadem humanitate substantialem. Ea quæ dicuntur de Christo prout supponit pro persona composita formaliter, quatenus est composita, non possunt dici de Diuina natura etiam inconcreto.

188. Fuit in Christo Domino duplex voluntas, Diuina, scili-

na ſcilicet & humana, eaq; tam reſpectu finis, quàm reſpectu mediorum. Non fuit tamen earum contrarietas. Voluntas humana Chriſti fuit libera in obſeruatione mādatorum Dei, non ſolùm quoad actus internos ſecundùm ſubſtantiam & eſſentiam ſuam conſideratos, ſed etiam quoad actus externos, eo modo quo actus externi in ſubſtantia liberi eſſe poſſunt. Chriſtus Dominus meruit ſibi gloriam corporis, exaltationem nominis ſui, &c. Nobis autem gratiam, gloriam, & omnia dona ſupernaturalia.

189. Sacramenta ſunt ſigna ſenſibilia rei ſacræ ſanctificantis homines. Nouæ legis ſeptem numerantur; omnia Eccleſiæ vniuerſæ præcepta, fidelibus autem ſingulis in particulari tantùm aliqua. Cauſant gratiam ex opere operato, atq; adeo phyſicè & immediatè in vltimo inſtanti intrinſeco, quo ſignificatio formæ perficitur, non per virtutem aliquam illis intrinſecè ſuperadditam, ſed per ipſam actionem Sacramentalem, quatenus ſcilicet illa ſubſtat Diuinæ directioni.

190. Baptiſmus eſt medium neceſſarium ad ſalutem, validè confertur à quolibet applicante debitam materiam & formam cum debita intentione, actuali ſcilicet aut virtuali; quæ etiam reſpectu adultorum, ipſum cum diſpoſitione ſupernaturali ſuſcipientium, requiritur, habetq; vim ſuam fictione recedente.

191. Confirmatio cuius ſolus Epiſcopus eſt ordinarius Miniſter, & Sacerdos non niſi ex commiſsione Papæ, præſupponit Baptiſmum, imprimitq; characterem, ſicut & ille; qui character eſt quædam entitas ſpiritualis ad ſecundam qualitatis ſpeciem reductiuè pertinens, in intellectu indelebiliter impreſſa, ad ea quæ ſunt Diuini cultus rectè peragenda.

192. SS. Euchariſtiæ Sacramentum intrinſecè conſti-

tuitur per formã consecrationis corpus & sanguinẽ Christi, & species consecratas. est vnum vnitate specifica. necessarium necessitate medij in re vel in voto saltẽ implicito infantibus & adultis. vnitatẽ numericam sumit, tum ex speciebus panis & vini, tum ex coniunctione morali earundem specierum, in ordine ad vnicam sumptionem.

193. Huius Sacramenti materia est solus panis triticeus & vinũ vitis, cui aqua ex præcepto solũ Ecclesiastico misceri debet, quæ etiam immediatè in sanguinẽ Christi sæpe conuertitur. Ratio formalis conuersionis quę est actio substãtialis formaliter nõ solùm ratione termini A Quo, sed etiã Ad Quẽ, non consistit in adductione aut cõseruatione, sed immutatione totius substãtię panis & vini, in substãtiã corporis & sãguinis Christi, diciq; potest ꝓductio.

194. Pœnitentia est verum & ab alijs distinctũ Sacramentũ, à Christo post resurrectionẽ institutũ, intrinsecè & essentialiter ex actibus pœnitentis, contritione scilicet aut attritione, confessione & satisfactione, tanquam materiâ proxima, & absolutione Sacerdotis, illis solis verbis: Absoluo te; sufficienter explicatâ, tanquã formâ constitutum. Materia eius remota non est homo peccator, sed eius peccata omnia post Baptismum commissa, etiam per Sacramentum, aut aliter relaxata.

195. Pœnitẽtia sumpta pro habituali dolore de peccato admisso, vt est difforme rectæ rationi, est virtus specialis distincta ab alijs, peccata ob peculiares malitias & ex proprijs motiuis detestantibus, sub qua ratione vnaquæq; ex ipsis virtus pœnitentiæ dici potest: quanquam hæc denominatio præcipuè attribuitur virtuti illi, quæ ius Diuinũ læsum compẽsare studet, & coincidit cũ iustitia quadã cõmutatiua hominis ad Deũ. Huius virtutis habitus infũsus est in omnibus iustis atq; etiã Beatis, Christo Domino, & eius Matre, licet non sub ratione pœnitentiæ. 196.

196. Ad remiſsionem peccati mortalis, neceſſaria eſt pœnitentia, neceſsitate medij, in re, vel voto, de lege ordinaria. Peccatũ veniale coniunctum mortali aut originali, nunquã abſq; eo tollitur; in eius remiſsione noua ſemper infunditur & augetur gratia, licet id per ſe nõ requiratur.

197. Ad valorem confeſsionis neceſſariò requiritur, & ſufficit formalis integritas. Moribundus qui abſente ſacerdote ſigna doloris de peccatis dedit, poteſt & debet ab eo præſente abſolui. Ad validam abſolutionem requiritur approbatio & iuriſdictio, quæ in ipſa ordinatione non acquiritur.

198. Omnes ordines maiores & minores ſunt Sacramenta, imò & Epiſcopatus, quanquam indiſtinctus à Præsbyteratu, perfectior tamen & cum phyſico characteris augmẽto. Soli Epiſcopi ſunt ordinarij huius Sacramẽti Miniſtri, ita vt neq; ex diſpenſatione Papæ Laicus minores, vel non Epiſcopus, maiores, conferre validè poſsit.

199. Extrema vnctio eſt vnũ ſpecie Sacramentum, & in ſuſcipientibus vnum numero vnitate compoſitionis. Materia eius vnctio ex oleo ab Epiſcopo benedicto facta; Forma deprecatiua; Miniſter Sacerdos, ſubiectum infirmus etiam nullum peccatum habens.

200. Polygamia ſucceſsiua licuit ſemper; ſimultanea ex prima inſtitutione matrimonij eſt illicita, atque adeo prohibita iure Diuino tum naturali, tum poſitiuo, à Deo tamẽ diſpenſabili, & olim cum Iudæis & gentibus diſpenſato, quæ tamen diſpenſatio à Chriſti aduentu omnino ceſſauit.

Defendentur publice ab eodem in Collegio Poſnaniensi Societatis IESV,

Anno 1621. *Menſe* Julii *Die* 4. *Hora* 2.

ſaria eſt
e ordi-
ginali,
ſemper
iratur.
ritur,&
ente ſa-
ebet ab
equiri-
tione.

Sacra-
ctus à
aracte-
cramē-
cus mi-
poſsit.
um, &
tionis.
cto fa-
nectum

ltanea
e adeo
, à Deo
diſpen-
mnino

si

2.